

1312 juny 30. Barcelona

*Jaume II al veguer, batlle i jutge ordinari de Girona. Els mana que observin els canvis fets pels prohoms de la ciutat concernents als salaris de les taxes dels instruments redactats a la notaria de Girona.*

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 255 × 210 mm. Estat de conservació deficient a causa de la mutilació del document que afecta algunes paraules de la part central. Restablím el text segons la lectura que en dóna la còpia del *Llibre Verd*. **1: Registrata. Segell comú:** Restes de cera vermella pertanyents a un segell de 85 mm aprox. de diàmetre. **Lletra oberta. 2:** a) *És continuada en lo libre vert en cartes CC XX VIII<sup>o</sup>.* b) *Transladat és.* c) *XL VIII.*
- B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 258r i v.
- a. C. GUILLERÉ, *Llibre Verd...*, doc. 27, ex B.

Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac Sancte Romane Ecclesie vexillarius, ammiratus et capitaneus generalis, dilectis et ffidelibus suis vicario, baiulo ac iudici ordinario Gerunde, presentibus et futuris, salutem et dilectionem.

Cum in correctionibus per nos factis super salariis [t]axacionum instrumentorum notarie scribanie [Gerunde] factorum per probos homines dicte civitatis, de voluntate [vicarii] et baiuli ac iudicis ordinarii eiusdem, inter alia correctum fuerit seu emendatum, quod de qualibet carta absolutionis vel difinitionis vel comande vel debiti dentur sex denarii notario, prout hec in carta super dictis correctionibus [a nostra curia] emanata nostroque sigillo cereo pendenti roborata plenius continentur, nunquam fuerit nobis humiliter supplicatum [ex parte] Petri Geraldi, civis Gerunde, et Petri de Prato, iurisperiti, procuratorum, sindicorum seu actorum iuratorum civitatis [predicte], quod predicta emendacio sex denariorum in melius reformaretur et quod inde darentur tantum quatuor denarii notario pro [qua]libet ex predictis cartis seu instrumentis, prout taxatum extiterat per probos homines supradictos, nobis in contrarium [sup]plicante Raimundo de Toylano, notario dicte scribanie, quod dicta nostra correctio inviolabiliter servaretur. Idcirco nos, recognitis supradictis, de consensu predictorum procuratorum et predicti Raimundi de Toylano, emendando dictam taxationem sex denariorum, sic ordinandum et taxandum duximus, quod de quolibet simplici instrumento mutui seu debiti et depositi seu comande et apoche dentur tantum dicto notario seu notariis substitutis seu substituendis ab ipso Raimundo de Toylano vel eius successoribus quatuor denarii. Item, de quolibet instrumento predictorum in quo interveniant fideiussores, unus vel plures, dentur ipsis notariis ultra dictos quatuor denarios pro quolibet fideiussore unus denarius. Item, de quolibet instrumento predictorum in quo interveniat specialis obligacio, dentur septem denarii tantum et non ultra notariis supradictis. Et si interveniat fideiussor seu fideiussores [in] eodem instrumento una cum speciali obligatione, dentur unus denarius ipsis notariis pro quolibet fideiussore ultra dictos septem denarios. Item, de quolibet instrumento absolutionis et difinitionis dentur ipsis notariis sex denarii. Item, quod quociens scriptor sive notarius exiverit extra civitatem pro recipiendis instrumentis seu firmis vel ex quacumque causa exiverit extra civitatem ratione sui officii, habeat tres solidos pro qualibet die pro pedagio et sua necessaria, dum extra civitatem fuerit, si eadem die ad dictam civitatem redire poterit. Si vero redire non poterit ipsa die, set in sequenti, habeat pedagium ad rationem predictam pro duobus diebus et sua necessaria, dum extra civitatem fuerit, et idem pro qualibet die, si eum plus morari contigerit extra civitatem predictam, aliis autem correccionibus contentis in dicta carta nostra in suo robore duraturis. Quare vobis dicimus et mandamus quatenus huiusmodi ordinationem et taxationem nostram observetis et faciatis observari, ut superius continetur.

Data Barchinone, pridie kalendas iulii, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. Expedivit Bernardus.\*